



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus XIV. De signo crucis formando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

non utuntur pallijs. Idem per totum annum ad domum Capitularem quando servandum Capitulum & ad Refectorium sine pallijs conveniunt : à festo tamen *Michaëlis* usque ad Majum exclusive , si in frigore commesturi , poterunt ad domum Capitularem pro legendo *De profundis* , & ad Refectorium palliati accedere. Ingressuri calefactorium , exceptis Prælati & Senibus pallium deponant.

2. Qui pulsant , lampadem , aut candelas in altari accendunt aut extinguunt. Qui in medio chori aliquid legunt vel cantant. Cantores dum in medio Antiphonas offerunt. Semper ad preces in cruce. Ad omnem expositionem & repositionem Venerabilis Sacramenti. Dum quis in Communitate culpam agnoscit aut pœnitet aut benedictionem petit. Lector mensæ ad *Iube Domne benedicere* , & finitâ mensâ ad *Tu autem Domine*. Ille cujus leguntur obedientiales, ad verba *TIBI IN VIRTUTE Sanctæ Obedientiæ* , dum admittendus ad professionem , aut sacros ordines vel per obedientiam ad alium Conventum migraturus consuetam facit petitionem. Ad Confessionem sacramentalem , item dum datur absolutio generalis. Qui ingrediuntur cameras A. R. P. Ministri Provincialis. Item Fratres Clerici & Laici sub Instructore ingredienti camera P. Guardiani chlamydem deponunt.

3. Ordinarij Ministri mensæ, item qui apponunt panes, cerevisiam fundunt , aut quid notabile ministrant Communitati, deponunt chlamydem , qui vero extra ordinem aliquid parvi momenti ministrant, aut portionem aliquam ab uno ad aliud latus deferunt , &c. necesse non est , quod idcirco Clamydem deponant.

3. Officiator chlamydem deponit dum Officiû inchoat, & ad Collectas Fratres interserviunt Sacris in Ecclesiis nostris sine clamyde, quam in alienis non deponunt.

TITULUS XIV.

De Signo Crucis formando.

1. **P**ollice omnes os signant signo crucis dum dicitur, *Domine labia :*
item ille qui oscitat. Pectus pollice signat , dum sonus horæ
auditur,

auditur, & dum tonitru ingruit. Frontem vero, os, & pectus signant ante Evangelium dum dicitur *Sequentia sancti Evangelij.*

2. Extensa manu crux formatur cum Officiatore in principio omnium Horarum, dum dicitur *Deus in adjutorium.* In Prima & Completorio ante *Confiteor* ad verba *Adjutorium nostrum.* Non vero quando idem dicitur in precibus, vel Psalmis nec post orationem *Sancta Maria: Omnes sancti, &c.* Dum ter repetitur *Deus in Adjutorium.* Item extensa manu se signant post *Confiteor* ad illa verba: *Indulgentiam, &c.* Ad *Dominus nos benedicat. & Benedicat & Custodiat nos.* Ad benedictionem Missæ, ad illa verba *In Nomine Patris, &c.* In ingressu & egressu Ecclesiæ ad sumptionem aquæ benedictæ. Quoties benedictio datur cum Venerabili Sacramento. Ante & post orationem in Cruce, ante scilicet, post terræ osculum, post vero antequam terram osculentur. Ad mensam dum dicitur *Benedic Domine nos.*

TITULUS XV.

De usu Campanarum.

1. Ad matutinum pulsatur major campana bis, ita ut in puncto duodecimæ ultimus pulsus detur per *Miserere* pro ut omnes pulsus debent esse aliquantulum prolixi, sub *Te Deum Laudamus* usque ad *Pleni sunt Cæli.* Dum vero matutinum cantatur usque ad *Te ergo quesumus,* & tum pulsatur utraque campana, sicut etiam in illis festivitibus 2dus pulsus ad matutinum datur utrâque campanâ, ad vespertas quoque bis pulsatur, & in magnis festivitibus 2dus pulsus fit utrâque campanâ, si altare sit incensandum ultimus pulsus protrahatur, usque dum Sacerdos est ad altare. Officiator non incipit Officium sive matutinum, sive alias horas nisi ultimo pulsu finito, qui ordinariè ultra unum *Miserere* non est protrahendus.

2. Quadrante ante Sextam pulsatur campana minor pro prima Missa, eritque simul signum ad legendum *Ave maris stella:* juxta Provinciam